Post legatum acceptum, non tantum licebit falsum arguere⁷ testamentum, sed et non jure factum contendere: inofficiosum⁸ autem dicere non permittitur. — § 1. Ille, qui non jure factum contendit, nec obtinuit, non repellitur ab eo, quod meruit. Ergo qui legatum secutus, postea falsum dixit, amittere debet quod consecutus est. De eo vero, qui legatum accepit, si neget jure factum esse testamentum, divus Pius ita rescripsit: *Cognati Sophronis licet ab herede instituto acceperant legata, tamen si is ejus conditionis fuerit visus, ut obtinere hereditatem non possit, et jure intestati ad eos cognatos pertinet, petere hereditatem ipso jure poterunt. Prohibendi autem sint, an non, ex cuiusque persona, conditione, aetate, cognita causa a iudice constituendum erit.* — § 2. Amittere id quod testamentum meruit, et eum placuit, qui tutor datus excusavit⁹ se a tutela; sed si consecutus fuerit, non admittitur ad excusationem. Diversum puto in eo, qui legatum tantum meruit, et a matre pupilli tutor petitus, excusare se maluit: hic enim nihil¹⁰ contra iudicium defuncti fecit. Sed hoc legatum, quod tutori denegatur, non ad fiscum transfertur, sed filio relinquatur, cuius utilitates deserte sunt. — § 3. Si pater accusaverit testamentum, vel dominus: denegabitur ei actio etiam ejus, quod filio ejus vel servo legatum est, si ad ipsos emolumentum rei perventurum est. Quod si personam illorum spectet, diversum dicendum est. — § 4. Si servum suum rogatus sit manumittere, qui legatum meruit, vel etiam ipsi servo utrunque datum sit: dicendum est, non debere obesse servo factum domini, sed a fisco redimendum, ut manumittatur: si tamen velit servum vendere: quia non potest cogi, qui iudicium sprevit¹¹ defuncti. — § 5. Si filiusfamilias falsum accusaverit testamentum: videndum est, an denegari debeat actio patri? Et puto, si invito patre accusavit, non esse denegandam patri actionem. — § 6. Si is, cui rogatus sum legatum restituere, falsum dixerit: restituere id fisco debeo. — § 7. Qui accusavit falsum, heres¹² legatario exstitit, vel heredi scripto: nihil huic nocere dicendum est. — § 8. Similis est¹³ ei, et qui inofficiosum dicit. — § 9. Aetati¹⁴ ejus, qui accusavit, ignoscitur¹⁵: et maxime si tutor vel curator dicere falsum vel inofficiosum velit: et ita imperatores Severus et Antoninus rescripserunt. — § 10. His vero, qui testimonio suo intentionem accusatoris adjuvaverant, deneganda est actio: idque divus Severus decrevit. — § 11. Sunt qui putant (et recte) et ei denegandam, qui accusatori adfuit, vel fidejussor pro eo exstitit. — § 12. Quidam et præsidem indignum putant, qui testamentum falsum pronuntiavit, si appellatione intercedente heres scriptus obtinuit. — § 13. Advocatum fisci, qui intentionem delatoris exequitur, in omnibus officii necessitas satis excusat. — § 14. Qui principale testamentum arguit, et a secundis tabulis repellendus est: item a codicillis ad testamentum factis, licet non confirmatis. Non idem

2. L. 65, supr. de ritu nupt. — 3. Tit. C. de interdict. matr. inter pupill. — 4. L. 15, infr. h. t. — 5. L. 65, in fin. supr. de ritu nupt.; l. ult. supr. de legat. 1. — 6. L. 29, in fin.; l. 50, infr. de donat. — 7. L. 5, infr. ad l. Corn. de fals. — 8. L. 10, in fin. supr. l. 6, in fin. C. de inoffic. testam. — 9. L. 52, vers. recte sup. de excusat. — 10. L. 56, supr. d. t. — 11. L. 55, infr. de fideicom. libert.; § 2, vers. quod si dominus. Inst. de sing. reb. p. e. fideicom. — 12. L. 7, infr. h. t. — 13. Vide tamen l. ult. in fin. supr. de inoffic. testam. — 14. Fac. l. 24, § 2, infr. de bon. libert. — 15. Immo vide l. 25, in fin. infr.; l. 2, C. h. t. — 16. L. 15,

sequendum est, si secundas tabulas vel codicillos¹⁶ coarguit: quia non utrumque hoc casu improbase videtur. — § 15. An libertas ei servo data, qui testimonio suo infringere voluerit testamentum, auferri debeat, videndum est. Fideicommissum utique non¹⁷ est dignus consequi: et de libertate divus Pius iudicavit, esse ea privandum. — § 16. Ei qui tutor datus est, non prodest ad excusationem, quod falsum dixit; sed a legato¹⁸ removetur. — § 17. Qui mortis causa donationem accepit a testatore, non est similis in hac causa legatario. — § 18. Alia causa est ejus, qui propter testamentum a legatario vel a statulibero accipere jus est; hic enim ut indignus repellitur. — § 19. Et Falcidiæ beneficium heredi scripto auferri debere, divus Pius et divus Marcus putaverunt. — § 20. Omnes, qui ut indigni repellentur, summoventi sunt a præmio, quod secundum edictum divi Trajani datur his, qui se deferunt.

6. MARCELLVS, lib. 22 Digestorum.

Rescriptum est a principe, *heredem rei¹⁹, quam amovisset, quartam non retinere.* Et ideo si is qui quadringenta habebat, universa quadringenta legavit, et heres centum subtraxisset: trecentorum quartam retinebit, septuagintaquinque scilicet; et ducenta vigintiquinque dabit legatariis: [ex] centum, quæ subripuit, legatariis quidem dabit septuagintaquinque; reliqua, id est, vigintiquinque, ad fiscum venient.

7. MODESTINVS, lib. 6 Differentiarum.

Qui Titii testamentum falsum dixit, nec obtinuit, heredi²⁰ ejus heres existere prohibendus non est: quia non principaliter in Titii hereditatem succedit.

8. Idem, lib. 9 Regularum.

Indigno herede pronuntiato, adempta hereditate, confusas actiones restitui non²¹ oportet.

9. ULPIANVS, lib. 14, ad legem Juliam et Papiam.

Si inimicitia capitales²² intervenerunt inter legatarium et testatorem, et verisimile esse cøperit, testatorem noluisse legatum sive fideicommissum præstari ei, cui adscriptum relictum est: magis est, ut legatum ab eo peti non possit. — § 1. Sed et si palam et aperte testatori maledixerit, et infaustas voces adversus eum jactaverit, idem erit dicendum. — § 2. Si autem status ejus controversiam movit, denegatur ejus, quod testamento accepit, persecutio: ex qua specie statim fisco deferetur.

10. GAIVS, [lib. 15, ad legem Juliam et Papiam].

In fraudem juris fidem accommodat, qui vel id quod relinquitur, vel aliud, tacite²³ promittit restitutum se personæ, quæ legibus ex testamento capere prohibetur: sive chirographum²⁴ eo nomine dederit, sive nuda pollicitatione repromiserit. — § 1. Si quis ei, qui capere possit, rogatus fuerit restituere, et is mortis tempore prohibetur legibus hoc capere: non dubito, quin, etsi deficit fideicommissum, apud eum tamen, qui rogatus est restituere, manere²⁵ debet: quia nulla fraus ejus intervenisse videtur: nisi si in futurum casum fidem accommodavit, id est, ut, licet capere legibus prohiberi cøperit, restituat. — § 2. Recte dictum [est], si pater filii, quem in potestate habebat, tacitam fidem interposuerit, non debere id filio nocere: quia parenti²⁶ necessitatem habuerit.

11. PAPIANVS, [lib. 15 Quaestionum].

Heres, qui tacitam fidem contra leges accommodavit, in ea parte, qua fraudem adhibuit, Falcidia²⁷ non utitur: et ita senatus censuit. Sed si major modus institutionis, quam fraudis fuerit, quod ad Falcidiam attinet, de superfluo quarta retinebitur.

12. Idem, [lib. 16 Quaestionum].

Cum quidam scripsisset heredes, quos instituere non potuerat: quamvis institutio non valeret, neque superius testamentum ruptum esset, hereditas tamen ut indignis, qui non habuerunt supremam voluntatem, abstulit jam pridem senatus hereditatem. Quod D. Marcus in ejus persona iudicavit, cuius nomen peracto testamento testator induxerat²⁸: causam enim ad præfectos ærarii misit. Verum ab eo legata relicta salva manserunt. De præceptionibus eidem datis voluntatis erit quaestio, et legatum ei non denegabitur, nisi hoc evidenter testatorem voluisse appareat.

13. Idem, lib. 32 Quaestionum.

Claudius Seleucus Papiniano suo salutem. Mævius in adulterio Sempronie damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxit uxorem, qui moriens heredem eam reliquit: quaero, an justum matrimo-

infr. eod. — 17. Obv. l. 24, in fin. infr. ad leg. Corn. de fals. — 18. L. 6, supr. de hered. petit. — 19. L. 24, in pr.; l. 68, in fin. infr. ad leg. Falcid.; N. 1, c. 2, in pr. — 20. L. 5, § 7, supr. h. t. — 21. L. 17, l. 15, § 1, infr. eod.; l. 29, § pen. et ult. infr. de iure fisci. — 22. L. 5, in fin. supr. de adim. vel transfr. legat. — 23. L. 165, supr. de legat. 1. — 24. L. 5, in pr. infr. de iure fisci. — 25. L. ult. in fin. infr. h. t. — 26. L. 15, infr. ad leg. Falcid. — 27. L. 59, § 2, infr. d. t. — 28. L. 16, in fin. infr. h. t.; l. 8, § 7, infr. de bon. possess. secund. tab.

nium fuerit, et an mulier ad hereditatem admittatur? Respondi, neque tale matrimonium stare, neque hereditatis lucrum ad mulierem (pertinere): sed quod relictum est, ad²⁹ fiscum pervenire. Sed etsi talis mulier virum heredem instituerit, et ab eo quasi ab indigno hereditatem auferri dicimus.

14. *Idem*, lib. 35 Questionum.

Mulierem³⁰, quæ stupro cognita in contubernio militis fuit, etsi sacramento miles solutus intra annum mortem obierit, non admitti ad testamentum jure militiæ factum, et id quod relictum est, ad³¹ fiscum pertinere, proxime tibi respondi.

15. *Idem*, lib. 6 Responsorum.

Heredi, qui falsos codicillos³² esse dixit, neque obtinuit, hereditas non auferitur: si tamen aliquid a coherede codicillis acceperit, ejus actio denegabitur; itaque si bonorum inter heredes divisionem defunctus codicillis fecerit: partes quidem hereditarias, in quibus legatum consistere non potuit, tenebit: sed Falcidiæ beneficio non utetur, si tantum in amissis portionibus erit, quod Falcidiæ æquitate compensationis resuscietur.

16. *Idem*, lib. 8 Responsorum.

Cum tabulis secundis pater impuberi filio fratris filios, coheredibus datis, substituisset; ac substituti fratris filii, post mortem pueri, matrem ejus partus subjecti ream postulassent, ut hereditatem patri legitime obtinerent: victis auferendam esse partem hereditatis ex causa substitutionis, respondi: quia ex testamento sententiam secundum se dictam non haberent. — § 1. Quoniam stuprum in ea contrahi non placuit, quæ se non patroni concubinam esse patitur, ejus, qui concubinam habuit, quod testamento relictum est, actio non denegabitur: idque in testamento Cocceii Cassiani clarissimi viri, qui Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, optimi maximeque principis nostri judicaverunt: cujus filiam, quam alumnam testamento Cassianus nepoti coheredem datam appellaverat, vulgo quasitum apparuit. — § 2. Cum heredis nomen mutata voluntate paterfamilias incisus tabulis induxisset³³, atque ideo fisco portionis emolumentum adjudicatum fuisset: eam rem legatariis non obesse, qui retinuerant voluntatem, divo Marco placuit, et ideo cum suo onere fisco succedere.

17. *Idem*, (lib. 15 Responsorum).

Heredem, qui sciens defuncti vindictam insuper habuit, fructus³⁴ omnes restituere cogendum existimavi: nec probe desideraturum, actionem³⁵ confusam restitui. Deceptum autem ignoracione facti, bonæ fidei possessoris defensionem habiturum, ante motam scilicet controversiam, si ratio fructuum subducatur: nec improbe confusam actionem reddi postulaturum.

18. *Idem*, lib. 15 Responsorum.

Eum, qui tacitum fideicommissum in fraudem legis suscepit, eos quoque fructus, quos ante litem motam percepit, restituere cogendum respondi: quod bonæ fidei possessor fuisse non videtur, exemplo bonorum fisco vindicatorum. Post motam de tacito fideicommissio controversiam, ante pretia fructuum percepta cum usuris³⁶ esse restituenda respondi: sed omnium fructuum, quorum pretia percepta fuerant; quod si fructus in usu habuit, eorum pretia tantum restitui satis erit. Sed D. Severus bonorum tacite relictorum, citra distinctionem temporis, fructus duntaxat debere, non etiam usuras eorum, benigne decrevit: quo jure utimur. — § 1. Bonis universis ex causa taciti fideicommissi fisco restitutis, heredem onus aeris alieni non spectare convenit. Nec aliud servatur, morte non defensa. Si quid tamen ob aditam hereditatem, actionibus aut servitutibus confusis³⁷, amiserit, auxilio restitutionis non merebitur. — § 2. Pro parte heres institutus, prædii legatum acceperat, et in hereditate non capienti restituendi tacitum ministerium susceperat: quanquam legatum pro ipsius parte non constitisset, ideoque portionem istam pro herede possideret, tamen ei prædium integrum esse relinquendum respondi: neque enim rationem juris, ac possessionis varietatem inducere divisionem voluntatis.

19. *Paulus*, lib. 16 Responsorum.

Si scriptis heredibus ideo hereditas ablata est, quod testator aliud testamentum mutata voluntate facere voluit, et impeditus³⁸ ab ipsis est: ab universo judicio priore recessisse eum videri.

29. L. 2, § 1, supr. l. 14, infr. h. t.; L. 32, in fin. supr. de donat. inter vir. et uxor.: L. 4, C. de inest. et inutil. nupt. — 30. L. 41, § 1, supr. de testam. milit. — 31. Inno. vide l. 5, infr. de donat. — 32. L. 5, § 14, supr. h. t. — 33. L. 12, supr. eod. — 34. L. 1, C. eod. — 35. L. 8, supr. eod. — 36. d. l. 1, l. 17, § 2, supr. de usur. — 37. L. 8, supr. h. t. — 38. L. 1, in pr. supr. si quis aliquem testari prohib. — 39. L. 27, infr. de jure fisci. — 40. L. 15, in fin.

20. *Hermogenianus*, lib. 3 juris Epitomarum.

Ei, qui mortem³⁹ uxoris non defendit, ut indigno dos auferatur.

21. *Paulus*, lib. 5 Sententiarum.

Portionesque eorum fisco vindicantur, qui mortem libertorum⁴⁰ suspecto decedentium non defenderunt. Omnes enim heredes, vel eos, qui loco heredis sunt, officiose agere circa defuncti vindictam convenit.

22. *Tryphoninus*, lib. 5 Disputationum.

Tutorem, qui pupilli sui nomine *falsum vel inefficium*⁴¹ testamentum dixit, non perdere sua legata, si non obtinuerit, optima ratione defenditur: et, si libertum patris pupilli sui nomine capitis accusaverit, non repelli a bonorum possessione contra tabulas. Quia officii necessitas, et tutoris fides excusata esse debet. Nec quisquam iudicium calumnia notabit tutorem, qui non suis simultatibus accusationem sub nomine pupilli instituit: sed cogente forte matre pupilli, vel liberis patris instantibus. Et si tutor reum aliquem postulaverit pupilli nomine, et ideo non sit exsecutus, quod interim ad pubertatem pupilli pervenerit; non oportet dici in Turpillianum eum senatusconsultum incidisse: discreta sunt enim jura, quamvis plura in eandem personam devenierint, aliud tutoris, aliud legatarii: et cum non suæ personæ jure, sed pupilli accusaverit, propriam penam mereri non debet. Denique pupillo relicta in eo testamento, nisi⁴² a principe conservata sint, preceunt: adeo ille est accusatoris defensor, et quasi patronus; idem et Sabinus libris ad Vitellium scripsit.

23. *Gaius*, lib. singul. de tacitis Fideicommissis.

Si quilibet heres ex cujusque testamento tacite rogatus fuerit, ut quadrantem, quem legis Falcidiæ beneficio retinuit, non capienti restituat: æque locus erit senatusconsulto⁴³; neque enim multum intererit inter tale fideicommissum, et cum quis id quod ad se ex hereditate pervenerit, restituere rogatus sit.

24. *Papinianus*, lib. 18 Questionum.

Si testamentum patris jure factum filius negavit: quoniam de jure disputavit, non iudicium impugnavit aut accusavit, retinet defuncti voluntatem.

25. *Idem*, lib. 14 Responsorum.

Si gener socerum heredem reliquerit, taciti fideicommissi suspicionem [sola ratio paternæ affectionis non admittit]. — § 1. Apud Scevolam lib. 30 Digestorum Claudius notat: Si vivo testatore decesserit is, cui illicite legatum relictum erat, non fisco hoc vindicatur, sed apud eum, a quo relictum est, remanet⁴⁴.

LIBER TRIGESIMUSQUINTUS.

TIT. I.

DE CONDITIONIBUS¹ ET DEMONSTRATIONIBUS, ET CAUSIS², ET MODIS³ EORUM, QUÆ IN TESTAMENTO SCRIBUNTUR.

1. *Pomponius*, lib. 3, ad Quintum Mucium.

Legatis, quæ relinquuntur⁴, aut dies incertus, aut conditio adscribitur: aut, si nihil horum factum sit, presentia sunt: nisi⁵ si vi ipso conditio insit. — § 1. Cum dies certus adscriptus est, quamvis dies⁶ nondum venerit, solvi tamen possunt: quia certum est ea debita iri. — § 2. *Dies autem incertus* est, cum ita scribitur: *heres meus cum⁷ morietur, decem dato*: nam diem incertum mors habet ejus; et ideo, si legatarius ante decesserit, ad heredem ejus legatum non transit: quia non cessit dies vivo eo, quamvis certum⁸ fuerit moriturum heredem. — § 3. *Inest⁹ autem conditio legati*, veluti cum ita legamus: *quod ex Averca natum fuerit, heres dato*: aut, *fructus, qui ex [eo] fundo percepti fuerint, heres dato*: aut, *servum, quem alii non legavero, seu dato*.

supr. de SC. Silan. — 41. L. 30, § 1, supr.; § 5, Inst. de inoffic. testam. — 42. *Adde* L. 1, § 2, supr. h. t. — 43. L. 59, in fin. infr. ad leg. Falcid. — 44. L. 10, § 1, supr. h. t. — Tit. 1. — 4. Lib. 6, C. 46. — 2. Lib. 6, C. 44. — 3. Lib. 6, C. 45. — 4. § 2, infr. l. 1. — 5. § 2 ult. infr. h. t. — 6. L. 157, § 2, in fin. infr. de verb. oblig. — 7. L. 4, infr. quædam legat. — 8. L. 68, in fin. supr. de legat. 1. — 9. L. 75, in pr. infr. de verb. oblig.

2. *Ulpianus*, lib. 5, ad Sabinum.

Conditionum quedam sunt, quæ quandoque impleri possunt etiam vivo¹⁰ testatore: ut puta, *si navis ex Asia venerit*: nam quandoque venerit navis, conditioni parum videtur; quædam, quæ non nisi post mortem testatoris: *si decem dederit*, *si Capitolium ascenderit*; nam, ut paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet hanc conditionem insertam; nam, si fato fecerit, non videtur obtemperasse voluntati.

5. *Idem*, (lib. 6, ad Sabinum).

Obtinuit, *impossibiles*¹² conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas.

4. *Pomponius*, lib. 5, ad Sabinum.

Si his legatum est, quibus patronus legata prestat, temperare debet pretor conditionem: ut et patrono, et heredibus scriptis pro portione dentur; conditionis explenda gratia. — § 1. Si ita scriptum sit: *Si in quinquennio proximo Titio filius navis non erit, tum decem Seiae heres dato*: si Titius ante mortuus sit, non statim Seiae decem deberi, quia hic articulus *tum*¹⁵ extremi quinquennii tempus significat.

5. *Paulus*, lib. 2, ad Sabinum.

Conditionibus *pupillus*, et sine tutoris auctoritate parere¹⁴ potest; nec quem moveri, quod expleta conditione necessarius heres aliquando esse potest: nam hoc jure potestatis fieri, non conditionis expleta. — § 1. Item *servus vel filius familias sine jussu patris vel domini conditionem implere possunt*¹⁵: quia eo facto nemo fraudatur.

6. *Pomponius*, lib. 3, ad Sabinum.

Malta testamento non committitur ab herede vel legatario, vel eo, qui ex ultima voluntate aliquid lucratur, qui alicujus arbitratu monumentum facere jussus sit, si is, cujus arbitrium¹⁶ est, non vivat, vel adesse non possit, aut rei arbitrari nolit. — § 1. *Si servus certos quis manumiserit*, heres esse jussus erat: quibusdam ex his ante mortuis, Neratius respondit, defici eum conditione; nec æstimabat, pareri posset conditioni necne: sed Servius respondit, cum ita esset scriptum, *si filia et mater mea vivant*¹⁷, altera jam mortua¹⁸, non defici conditione: idem est et apud Labeonem scriptum: Sabinus quoque et Cassius, quasi impossibiles eas conditiones in testamento positas, pro non scriptis esse: quæ sententia admittenda est.

7. *Ulpianus*, lib. 18, ad Sabinum.

Mutiana cautionis utilitas consistit in conditionibus, quæ in non faciendū sunt conceptæ: ut puta, *si in Capitolium non ascenderit, si Stichum non manumiserit*, et in similibus: et ita Aristoni, et Neratio, et Juliano visum est, quæ sententia et constitutione divi Pii comprobata est. Nec solum in legatis placuit, verum in hereditatibus quoque idem remedium admissum est. — § 4. Unde si uxor maritum suum, cui dotem promiserat, ita heredem scripserit ex parte¹⁹, *si dotem, quam ei promisi, neque petierit, neque exegerit*: denunciare eum posse coheredi, paratum se accepto facere dotem vel cavere: et ita adire posse hereditatem; sed si ex esse sit institutus maritus sub ea conditione, quoniam non est, cui caveat, non impediri eum, quo minus adeat hereditatem; nam iure ipso videtur impleta conditio, eo quod non est, quem possit de dote convenire ipse adendum hereditatem.

8. *Pomponius*, lib. 5, ad Sabinum.

Si quis ita legaverit, *dum uxor mea cum²⁰ filio erit, heres meus ei tantum dato*: si ea latitans patronum, de medio discessit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos, debere ei legatum, Trebatius et Labeo aiunt: quia non omne momentum exigendum sit, ut cum liberis sit, sed si eam mentem, et id propositum habeat, ne filium a semet dimittat, neve per eam stet, quo minus cum ea filius educetur.

9. *Ulpianus*, lib. 20, ad Sabinum.

Solemus dicere eum qui in²¹ tempus liberorum uxori legat, de his non sensisse, quos²² jam tunc uxor habuit, cum testaretur maritus.

10. *Idem*, lib. 25, ad Sabinum.

Hæc conditio, *filia mea, cum nupsit*, talis est, ut qui testatus est, impleri solummodo conditionem voluerit; non satis egerit, quando: et ideo, [et] si vivo testatore nupsit post testamentum factum, impleta

10. L. 21, in fin. infr. h. t. — 11. d. L. 11, § 1. — 12. L. 6, § 1, infr. eod.: L. 16, in fin. supr. de in ust. rupt. irritio facto testam.: L. 50, § 1, supr. de hered. instit.: L. 1, L. 4, in fin.; L. 6, L. 20, in fin. de hered. instit. — 13. L. 35, supr. de usu et usufr. legat. — 14. L. 26, supr. de condit. instit. — 15. *Obst.* L. 25, supr. de legat. 1. — 16. L. 28, in pr. infr. h. t.: L. 44, L. 115, in pr. infr. de verb. oblig.: L. 54, § 1, supr. de legat. 1. — 17. L. 45, supr. de hered. instit. — 18. L. 8, § 2, supr. de condit. instit.: L. 54, § 2, supr. de legat. 1. — 19. L. 20, in pr. supr. de condit. instit. — 20. L. 30, § 5, supr. de legat. 3. — 21. L. 51, in fin. supr. de legat. 2. — 22. L. 61, infr. h. t. — 23. L. 4, supr. de ritu nupt.: L. 68, supr. de jure dot.: L. 50, infr. quando dies legat. inst. de nupt. in pr. — 24. L. 48, in fin. supr. de legat. 2. — 25. L. 2, supr. h. t. — 26. Arg. L. 25, in fin. supr. de condit. instit. — 27. L. 32, § 15, supr. de donat. inter vir. et uxor.: L. 50, infr. de reg. jur. — 28. L. 35, in pr. infr. h. t. — 29. L. 72, § 6, infr. eod.: § 31, Inst. de legat. — 30. d. § 31, vers. sed si conditionaliter.

conditio videtur, præsertim cum conditio hæc talis est ut semel impleri debeat. Sed enim non omnes conjunctiones implent conditionem: puta enim nondum²³ nubilis ætatis in domum mariti deducta, non paruit conditioni; sed etsi ei conjuncta sit, cujus nuptiis ei interdictum sit, idem dicemus. An tamen nubendo postea parere conditioni possit, quasi non nupsit, dubitari potest? et si testator de primo nuptiali jugo sensit, puto defectam conditione: benigne tamen dicendum est, nondum impletam conditionem defectam. — § 1. Si [sic] legatum sit, *si navis ex Asia venerit*, et ignorante testatore navis venerit testamenti facti tempore: dicendum, pro impleta haberi. Et si cui sic legatum est, *cum pubes erit*, simili modo hoc erit dicendum.

11. *Paulus*, lib. 4, ad Sabinum.

Si jam facta sint, quæ conditionis loco ponuntur, et sciat testator: quæ iterum fieri possunt, expectentur, ut fiant: si vero nesciat²⁴, presentibus debeantur. — § 1. Item sciendum est, promiscuas conditiones post mortem impleri oportere, si in hoc fiant, ut testamento pareatur: veluti, *si Capitolium ascenderit*, et similia; non promiscuas, etiam²⁵ vivo testatore existere posse: veluti, *si Titius consul factus fuerit*.

12. *Ulpianus*, lib. 24, ad Sabinum.

Si ita legatum sit, *quoniam filius major ex arca mea decem sustulit, heres minor filius decem e medio sumit*: debetur legatum: quia idcirco relictum est, ut conditio filiorum exæquaretur: et sane hæc causa est: nam causa in præteritum, poena in futurum confertur.

13. *Paulus*, lib. 5, ad Sabinum.

Si fundus alicui legatus fuerit, *si pupillo vel furioso pecuniam dedisset*: videtur expresse conditionem, curatoris vel tutori dando.

14. *Pomponius*, lib. 8, ad Sabinum.

Titius, si status in municipio posuerit, heres esto: si paratus est ponere, sed locus a municipibus ei non datur, Sabinus, Proculus, heredem cum fore²⁶; et in legato idem juris esse dicunt.

15. *Ulpianus*, lib. 38, ad Sabinum.

Cui fuerit sub hac conditione legatum, *Si in familia nupsisset*: videtur impleta conditio statim atque ducta est uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti venerit. *Nuptias*²⁷ enim non concubitus, sed consensus facit.

16. *Gaius*, lib. 1, de Testamentis, ad Edictum pretoris.

In his, quæ extra testamentum incurrerent, possunt res ex bono et æquo interpretationem capere. Ea vero, quæ ex ipso testamento oriuntur, necesse est secundum scripti juris rationem expediri.

17. *Idem*, lib. 2, de Legatis, ad Edictum pretoris.

Demonstratio falsa est, veluti si ita scriptum sit, *Servum Stichum, quem de Titio emi: fundum Tusculanum, qui mihi a Seio donatus est*; nam si constat, de quo homine, de quo fundo senserit testator: ad rem non pertinet²⁸, si is, quem emisse significavit, donatus esset: aut, quem donatum sibi esse significaverat, emerit. — § 1. Igitur et si ita servus legatus sit, *Stichum cocum, Stichum suorem Titio lego*: licet neque cocus, neque sutor sit, ad legatarium pertinebit, si de eo sensisse testatorem conveniat; nam et si in persona legatarii designanda aliquid erratum fuerit, constat autem, cui legare voluerit: perinde valet legatum, ac si nullus error intervenerit. — § 2. Quod autem juris est in falsa demonstratione, hoc vel magis est in falsa causa²⁹, veluti ita: *Titio fundum do, quia negotia mea curavit*; item, *Fundum Titius filius meus præcipio, quia frater ejus [ipse] ex arca tot aureos sumpsit*; licet enim frater hujus pecuniam ex arca non sumpsit, utile legatum est. — § 3. At si conditionaliter³⁰ concepta sit causa, veluti hoc modo, *Titio, si negotia mea curavit, fundum do: Titius filius meus, si frater ejus centum ex arca sumpsit, fundum præcipio*: ita utile erit legatum, si et ille negotia curavit, et hujus frater centum ex arca sumpsit. — § 4. Quod si cui in hoc legatum sit, ut ex eo aliquid faceret, veluti monumentum testatori, vel opus, aut epulum municipibus faceret, vel ex eo ut partem alii restitueret: sub modo legatum videtur.

18. *Idem*, lib. 18, ad Edictum provinciale.

Is, cui sub conditione non faciendi aliquid relictum est, ei sc. cavere